Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Léctio libri primi Samuélis 3, 3b-10. 19

In diébus illis:

3b Dormiébat Sámuel in templo Dómini,
ubi erat arca Dei.
4 Et vocávit Dóminus Sámuel, qui respóndens ait:
«Ecce ego».
5 Et cucúrrit ad Heli et dixit:
«Ecce ego; vocásti enim me».
Qui dixit:
«Non vocávi. Revértere; dormi!».
Et ábiit et dormívit.

6 Et Dóminus rursum vocávit Sámuel.
Consurgénsque Sámuel ábiit ad Heli et dixit:
«Ecce ego, quia vocásti me».
Qui respóndit:
«Non vocávi te, fili mi. Revértere et dormi!».
7 Porro Sámuel necdum sciébat Dóminum,
neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

8 Et Dóminus rursum vocávit Sámuel tértio,
qui consúrgens ábiit ad Heli
9 et ait:
«Ecce ego, quia vocásti me».
Intelléxit ígitur Heli quia Dóminus vocáret púerum,
et ait ad Sámuel:
«Vade et dormi;
et, si deínceps vocáverit te, dices:
“Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus”».
Abiit ergo Sámuel et dormívit in loco suo.

10 Et venit Dóminus et stetit

et vocávit, sicut vocáverat prius:
«Sámuel, Sámuel».
Et ait Sámuel:
«Lóquere, quia audit servus tuus».

[11-18]

19 Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo,
et non cécidit ex ómnibus verbis eius in terram.

Verbum Dómini.